



En tibi magnanimæ spirantia Principis ora,
Omnia quam mundi mirantur regna, venustæ
Non decus ob formæ tantum, prolemq; decoram,
Innumerasq; animi dotes, quas divite dextra
Fudit ei natura potens: sed mascula virtus,
Religionis amor, fidei constantia mentes
Plus rapit attonitas hominum, quam forma vel oris
Gratia rara sui. Rege hæc genitore creata,
Regalis necnon genitrix & Regia coniux,
(O pudor, o probrum, nostrisq; infamia facti)

Barbarico ritu, contra ius, fasque, piunque,
Carcere his denos latuit detenta per annos:
Imperioque trucis fœdæque viraginis Anglæ,
(Nulla Caledonijs qua bellua tetrior undis
Innatat, aut Lybiæ campos percurrit arena)
Jussa mori tandem, superas concessit in auras.
Mortis at horrendam faciem monumenta loquentur
Omnia scriptorum, Deus ulciscetur, & illi
Præpositi populis Reges, quos publica causa
Sprætaq; Maestas et Regia iura movebunt.

ff. G. Scut. .



